

honestatem aut solam expetendam, aut certe omni pondere grauiorem habendam, quam reliqua omnia, praecipit (b). Ipse enim Romulus iam edixisse perhibetur (c), ne quis praesente femina turpe quid loqueretur, & vt a vini haustu se abstinerent mulieres (d), ne in dedecus aliquod prolaberentur, quia proximus a Libero Patre intemperantiae gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit (e). Eandem quoque sententiam reliquis deinceps regibus sedisse peruulgatum est. Nec vero reipublicae liberae tempestate, quanquam laxiores in dies fieri consueuissent muliercularum mores, aliter sensisse optimos quosque, tot veterum instituta & leges testantur. Quin sub ipsis adeo imperatoribus, licet fere communis virorum pariter ac mulierum videretur vox haec lenonis Plautini:

Nimio id quod pudet facilius fertur, quam illud quod piget (f);

hic tamen honestatis sensus adeo non penitus exoleuit, vt potius ipsis illorum animis insideret, quorum curae summa rei concredita erat, verumque ipsa re deprehenderetur, eos, qui sibi ipsi foedissima quaeque condonabant facinora, eadem in aliis ferre nequiuisse. Ipsum quidem **AUGVSTVM**, vtut non omni labe carentem, quippe qui cum Maecenatis vxore rem habuisse dicitur, scimus Legem Juliam de adulteriis tulisse. Neque vero hac lege solummodo zelotypiae maritorum prospexit, sed pudicitiae omnino, dum supra quoque ex eadem acerrime vindicari constituerit (g). **CLAVDIVM** etiam nostrum,

quan-

(b) CICERO *de Offic. L. III. cap. 8.*

(c) a PLVTARCHO in *vita Romuli p. m. 20.*

(d) PLINIVS in *M. N. L. XIV. cap. 13.*

(e) VALER. MAXIM. *L. II. cap. 1.*

(f) PLAVTVS *Pseudol. 1, 3, 47.*

(g) §. 4. *L. de iudicis publ. Vid. IO. GVIL. HOFFMANN ad Leg. Jul. de adulz. cap. IV. §. 11. & latius di-*